



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis, Seu Resolutio Casuum Conscientiæ

Juxta Sacram Scripturam, Canones, Et Sanctos Patres

Continens Tractatus de Sacramentis in genere; de Baptismo, de Confirmatione, Eucharistia, Sacrificio Missæ; Constitutionem Innocentii XII. super celebratione Missarum, variaque alia decreta

Genet, François

Parisiis, 1703

Q. 3. An Sacerdos degradatus possit celebrare?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40834

De Sacrificio Missæ. Cap. II. 23

& unâ cum illo interiùs, & modo invisibili eandem offerre victimam, quam externo ritu Sacerdos Deo offert; quare Sacerdos ante consecrationem conuersus ad Fideles, ipsos admonet his verbis: *Orate Fratres, ut meum ac vestrum Sacrificium acceptabile sit apud Deum Patrem omnipotentem*: Et, ut ait S. Petrus Damiani in opusculo de Dominus vobiscum. cap. 8. *A cunctis Fidelibus, non solum viris, sed mulieribus Sacrificium illud laudis offertur, licet ab uno specialiter offerri Sacerdote videatur*. Et in hoc sensu S. Augustinus Missam vocat *Sacrificium Christianorum*.

Et summus Pontifex Innocentius III. *Non solum offerunt, inquit, Sacerdotes, sed & universi Fideles. Nam quod specialiter adimpletur Ministerio Sacerdotum, hoc universaliter agitur voto Fidelium*. Et hac de causa Fideles omnes dicuntur Sacerdotes in multis locis Scripturæ. In Apocalypsi cap. 1. *Lavit nos à peccatis nostris in sanguine suo, & fecit nos regnum & Sacerdotes Deo & Patri suo*. Et I. Petri. cap. 2. *Ipsi tanquam lapides vivi super adificamini domus spiritualis, Sacerdotium sanctum, offerre spirituales Hostias acceptabiles Deo per Iesum-Christum*. Unde videmus, quod Sacro-sanctum Missæ Sacrificium offertur ab omnibus Fidelibus modo spirituali & invisibili; sed illud idem Sacrificium impletur exteriùs à solis Sacerdotibus qui vices Christi gerunt, cujus sunt Ministri visibiles, qui consecrant super Altare illam divinam Hostiam per verba quæ præscripsit illis Dominus Iesus-Christus, & illud offerunt solemniter Patri æterno propriis manibus.

Quæst. 3. Sacerdos degradatus potest-ne validè Sacrificium Missæ offerre?

Resp. Certum est posse, quia, ut ait Divus

S. Aug. lib.
10. De Civitate
Dei. cap. 6.

Innocent. III.
De Myst. Missæ.
lib. 3. c. 6.

D. Tho. 1. 22 Thomas: *Potestas consecrandi Eucharistiam,*
 p. q. 82. 22 pertinet ad characterem Sacerdotalis ordinis:
 art. 8. 22 character autem quilibet, quia cum quadam
 22 consecratione datur, indelebilis est; sicut &
 22 quarumcumque rerum consecrationes perpetuæ
 22 sunt, nec amitti, nec reiterari possunt.
 22 Unde manifestum est, quod potestas consecrandi
 22 non amittitur per degradationem; &
 22 sic patet, quod Sacerdos degradatus potest
 22 conficere hoc Sacramentum. Quod tamen non
 potest sine gravi peccato.

Quest. 4. Sacerdos qui patitur morbum comitalem, seu caducum, debet-ne celebrare Missam?

S Tho. 3. 22 *Resp.* Divus Thomas sic respondet: *Dicendum quod*
 p. q. 82. 22 debilitas vel ægritudo superveniens
 art. 10. ad 22 Ordini Sacerdotali, ordinem non tollit: executionem
 22 tamen Ordinis impedit quantum ad
 22 consecrationem Eucharistiæ. Quandoque quidem
 22 propter impossibilitatem executionis, si privetur oculis, aut digitis, aut usu linguæ.
 22 Quandoque autem propter periculum, sicut
 22 patet de eo qui patitur morbum caducum, vel
 22 etiam quamcumque alienationem mentis.
 Quare Alexander II. relatus in Can. consultus à Gebonardo Vivariensi Archiepiscopo, utrum Presbyter posset Missarum solemnia celebrare qui morbum patiebatur caducum: *Consultimus*, inquit, *ut si frequenter hoc morbo tangitur à Missarum celebratione modis omnibus prohibeatur: indecens enim est & periculosum, ut in consecratione Eucharistiæ morbo victus epileptico cadat.*

Quest. 5. Quid agendum est cum Sacerdos moritur ante vel post consecrationem, aut propter aliquam infirmitatem nequit Hostiam consummare?

Resp. His incommodis occurrit Ecclesia in: